



PRÆFATIO

exponens rationem instituti, indicansque feriem, in præsentis libro observatam.

CANDIDE ET BENEVOLE LECTOR.

EA Philosophiæ pars, quæ de vita & moribus, de virtutibus & vitiis, de bonis malisque rebus quærit, instituitque ex proposito tractationem, ad famam ac dignationem, approbantibus hominibus sapientioribus, merito pervenit, cui si usum, quem societati humanæ præbet, consideres, ulla alia disciplina adeo non præferenda est, ut quoque Moralis philosophia omnibus scientiis antecedit, illarumque principatum obtineat. Quæ Morum doctrina secundum Ciceronis elogium, vitæ dux audit, virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, siue qua vita hominis non esse potuisset. Illa urbes peperit, dissipatos homines in societatem vitæ convocavit, eosque inter se primo domiciliis, deinde conjugiiis, tum literarum & vocum communionem junxit. Illa inventrix legum, magistra morum & discipline fuit, ad quam confugimus, & a qua opem petimus. Illi nos, ut antea magna ex parte, sic nunc penitus totosque tradimus. Cui Tullii effato Seneca applaudit: Non est, inquit, Philosophia populare artificium, nec ostentationi paratum: non in verbis, sed in rebus est. Nec ad hoc adhibetur, ut aliqua oblectatione consumatur

tur